



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

9. Quae personae ratione Magistratus aut officij, aut dignitatis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

Alii dicunt quod nec pupillus, nec minor 25. annis accusare potest de publico crimine, nisi prosequatur injuriam suam, quia non est maior ratio de crimine adulterii & quolibet alio. Sed disparitas fortè adferri posset, quod in adulterio transactio intervenire non possit ut *L. transigere. ff. de transact.* Ut ut sit in testem tamen non admitteretur minor 25. annis in causa criminali, propter lubricum sui consilii ut *L. testium. §. lege Julia. ff. de testibus.*

8. Tertia causa desumitur ex ratione Sacramenti; ob quam milites stipendiati accusare non nisi suas suorumq; injurias prosequantur, possunt. ita *L. non prohibentur. C. qui accus: non poss.* Cuius ratio est, ne propter huiusmodi accusationes, à suis signis avocentur ut arg. *C. loca. & conduc. L. ultim.* In duobus tamen aut tribus casibus admitti solent. 1. in crimine læsæ Majestatis per *C. ad L. Jul: Maj: L. nullus.* 2. pro annonâ fraudata, nam cum pro pace excubent potiùs, sunt ad hanc accusationem admittendi quam alii: ut *L. mulierem. ff. de accus.*

9. Quarta causa est, ratione summi
Ma-

Magistratus, ob quam prohibentur ab accusando præsides provinciarum, justitiarum, aliiq; omnes, qui habent cognitionem meri vel mixti imperii. de quibus vide *L. qui accus. ff. de accus.* propter dignitatem potestatis, in qua agentes sicut sine fraude in jus vocari non possunt: ita nec alios vocare valent: **DIXI** summi Magistratus: quia Magistratus inferiores, ut sunt defensores civitatum, potestates ad accusandum admitti possunt. *L. quemadmodum. ff. ad L. Aquil.* fortè quia non est tantum fraudis periculum.

10. Quinta causa desumitur ex proprio delicto ob quam ab accusatione repulsam meritò patiuntur infames. *L. qui accusare 8. & seq. ff. h. t. lib. 8. & 12. C. eod.* nisi & hi suas suorumq; injurias prosequantur: aut certè in casibus, de quibus. *L. nullus. maj. C. ad L. Iul. maj.* & præterquam in crimine Simonix. *cap. tanta. de Sim.* idemq; crederem in crimine hæresis, quod est majus ex objecto crimine læsæ Majestatis, ut. *17. q. 3.* & in crimine fraudatæ annonæ, ut *L. mulierem ff. de accus.* Qui autem sunt infames, habes *ff. de his qui not. infam.*
per